



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Punct. 1. Necessitas Dilectionis Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

Punct. 1. Neceſſitas dilectionis Dei.

Primò, Docent nonnulli, *Omnem actum humanum esse peccatum qui non exercetur ex amore Dei propter se dilecti.* Volunt enim in omnibus actibus amorem illum requiri ex primo decalogi præcepto, Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo: nec posse omissionem istius dilectionis ullâ ignorantia excusari, cum sit præceptum juris naturalis, à quo (ut ipsi aiunt) nulla ignorantia excusat.

Damnavit autem Constitutione inviolabili Pius V. & Gregorius XIII. hanc Baij propositionem 38. *Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Hanc damnatam, à priori quo modo discernes?

Quod si quis velit, in omni actione requiri amorem Dei super omnia, & perfectum: Sequitur porrò omnem prorsus actum humanum extra statum gratiæ esse peccatum, quia quisquis elicit actum charitatis perfectæ hoc ipso statum gratiæ adipiscitur, etiam extra Sacramentum. Quinimo difficulter ostendet ille, qui requirit amorem Dei super omnia, se non exigere amorem perfectum. Quid enim est Deum amare perfectè, quàm super omnes creaturas diligere? Si dicas in amore perfecto requiri majorem actus intensiorem, quæro designari, penes quem intensiorem gradum amor Dei perfectus ab imperfecto discernatur. Hunc sanè gradum designari non posse fatentur ipsi, qui tamen per majorem actus intensiorem, amorem Dei perfectum ab imperfecto discerni volunt, plura de hoc vide part. 3. tract. §. 2. & 3.